

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Prot. n. 39298/06 CG**

**N**

***Nullitatis matrimonii***

**(X – Y)**

***Querelae nullitatis***

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno III, die 28 aprilis 2007, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Augustino Card. Vallini, Praefecto et Ponente, et Ioanne Ludovico Card. Tauran atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Francisco Coccopalmerio, Iosepho Mercieca et Henrico Mussinghoff, intervenientibus cl.ma D.na Alexandra Sandri, utpote cl.mae D.nae [conventae] Curatrice ad cautelam ac Patrona ex officio, cl.mo D.no A tamquam cl.mi D.ni [actoris] Patrono, Rev.mo P. Nicolao Schöch, uti Vinculi Defensore, et Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini utpote Promotore Iustitiae Substituto, in causa de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

**FACTI SPECIES**

1. Postquam in causa de qua supra bina sententia prolata fuerit, altera a Tribunali Ecclesiastico Regionali X nullitatem matrimonii edicens sive ob gravem defectum discretionis iudicii sive ob incapacitatem assumendi obligationes matrimonii essentiales ex parte viri actoris, altera autem a Foro Regionali Y nullitatem non constare edicens ex ullo capite, causa ad Rotam Romanam per appellationem delata est.

Vixdum Collegium decisionem tulerat, Rev.mus Ponens per Exc.mum Romanae Rotae Decanum ab hoc Supremo Tribunal certior factus est de quadam denuntiatione iuxta quam processus Rotalis inaudita parte conventa probabiliter peractus esset.

Qua super re inquisitione statim peracta, Rev.mus Ponens una cum Exc.mo Decano huic Supremo Tribunal petitionem die 1° decembris 2006 detulit ut dispensatio ab art. 98, §1 Normarum Rotalium praescripto

IURISPRUDENTIA. PROT. N. 39298/06 CG

concederetur «ita ut Turnus retractare vale[re]t suam sententiam, quae nulla esset».

Die autem 15 decembris 2006 Em.mus H.S.T. Praefectus in Congressu statuit quaestionem de decisionis Rotalis nullitate a Signatura Apostolica pertractandam ac definiendam esse in casu.

Actis a Romana Rota adquisitis atque relatione ex officio a Rev.mo Promotore Iustitiae Substituto porrecta, die 10 ianuarii 2007 Em.mus H.S.T. Praefectus decretum protulit, quo causa instituebatur atque processus disponebatur.

2. Utroque partium Patrono decisionis Rotalis nullitatem proponente, Rev.mus Vinculi Defensor animadversiones proposuit ac Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus votum pro rei veritate.

Omnibus his scripturis rite commutatis, quaestio haec nunc examini subicienda est: **An constet de nullitate decisionis Rotalis die 26 octobris 2006 latae.**

## IN IURE ET IN FACTO

3. «Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, si ius defensionis alterutri parti denegatum fuit» (can. 1620, n. 7).

Communis H.S.T. iurisprudentia de hoc nullitatis motivo satis nota est, quin sit necessarium eam funditus recolere.

Sufficiat, proinde, ad sententiam referre, quae in causa Mutinensi coram Sabattani die 17 ianuarii 1987 prolata est, iuxta quam «non omnis negatio legitimae defensionis importat iudicii atque sententiae nullitatem, sed solummodo illae quae eiusdem iudicii *substantiam* afficiunt. Iure positivo ius defensionis exercetur in iudicio per contradictorium inter partes. Certum est citationem esse necessariam ad contradictorium constituendum seu aperiendum; si deest revera contradictorium iudiciale processus est nullus quia in eo deficit id quod processum essentialiter constituit (can. 1680 [Codicis Iuris Canonici anno 1917 promulgati; hodie can. 124, §1]), idest contradictorium» (cf prot. n. 15301/83 CG, nn. 13-14, p. 10-13).

4. Per tabulas constat partem conventam per integrum processum, apud Romanam Rotam celebratum, inauditam mansisse, in casu. Absque dubio fatendum est, proinde, negationes legitimae defensionis in casu, substantiam iudicii affecisse.

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Parti conventae, enim, nulla citatio iudicialis intimata est; nam candide fatetur Rev.mus Vicarius Iudicialis [dioecesis Z]: «Da un attento controllo

d'archivio ho riscontrato con rammarico che, per un banale disguido di cancelleria, non è stata eseguita la notifica alla parte convenuta del decreto di concordanza del dubbio emesso da codesto A.T. in data 26.05.2004»; quod de dubiis disceptandis decretum ad normam art. 58, §1 Normarum Rotalium citationis et contestationis litis locum tenet.

Parti conventae, quae absens a iudicio declarata ad normam art. 60, §3 Normarum Rotalium haud fuerat, nec «testificationes ceteraeque omnes probationes» publicatae sunt ad normam can. 1598 et art. 79 Normarum Rotalium.

Nullo alio modo constat partem conventam de processu apud Rotam Romanam in tertio iudicii gradu pendente scivisse. Eo magis quod pars illa conventa ab anno 2006 ineunte gravi cerebrali morbo correpta videtur.

Nullum, proinde, dubium superest parti conventae, in casu, ius defensionis denegatum fuisse: hac cum conclusione partis actricis Patronus concinit eidemque Vinculi Tutor favet.

5. «Ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare vel emendare intra terminum ad agendum can. 1623 statutum, nisi interea appellatio una cum querela nullitatis interposita fuerit, aut nullitas sanata sit per decursum termini de quo in can. 1623» (can. 1626, §2).

Quae, tamen, retractandi facultas, iure communi Iudicibus agnita, Iudicibus Rotalibus praeclusa est; nam peculiaris Tribunalium Sedis Apostolicae ordo iudicialis (cf can. 1402) de propria et exclusiva huius Supremi Signaturae Apostolici Tribunalis competentia circa querelas nullitatis contra sententias Rotaes cavet (cf can. 1445, §1,1°) vel, aliis verbis, de Romanae Rotae incompetentia decisiones definitivas ab eodem Apostolico Tribunali latas nullas declarandi.

Retractatio, enim, sententiae «ex officio de nullitate sententiae videre» importat (litterae die 19 septembris 1992 datae, prot. n. 19623/87 CP).

Nec dubium praeterea adest eam complecti posse sententiam, ad normam can. 1626, §2 retractandam, decisionem quoque iudiciale latam, etsi nondum exaratam.

## CONCLUSIO

IURISPRUDENTIA. PROT. N. 39298/06 CG

6. Omnibus sive in iure sive in facto aequi rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum decreverunt ideoque facto respondent:

**AFFIRMATIVE, seu constare de nullitate decisionis a competenti Turno Rotali die 26 octobris 2006 in causa de qua supra latae.**

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hanc Nostram definitivam Sententiam exsecutioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Expensae iudiciales sumuntur ex arca H.S.T. Cl.mae Patronae ex officio summa 300,00 Euro, ex eadem arca sumpta, uti emolumentum solvatur. Cl.mus D.nus [actor] sui Patroni honorarium solvat.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 28 aprilis 2007.

(Signati)

Augustinus Card. VALLINI, *Praefectus et Ponens*  
Ioannes Ludovicus Card. TAURAN  
+ Franciscus COCCOPALMERIO  
+ Iosephus MERCIECA  
+ Henricus MUSSINGHOFF

Notificetur.

Die 23 iunii 2007.

+ Velasius DE PAOLIS, c.s., *Secretarius*

PAULUS MALECHA, *vices Praepositi Cancellariae gerens*